

**Disquisitionum practicarum
gymnasma vicesimum secundum,
differentiam virtut...**

Wanochius, Andreas Jacobi,

11 Ae 8:o



ωωλ υστ
DISQV^{er}ISIONUM^{o-}
PRACTICARUM

Γ Τ Μ Ν Α Σ Μ Α VICESIMUM SECUNDUM,
Differentiam Virtutis *Ethnicæ & Chri-*
stianæ excutiens, *Mali moralis* existen-
tiam asserens, ejusdemque *rationem For-*
malem, collatis inter se doctorum judi-
ciis, investigans, & quidem καὶ
ἀνασκειύη;

Quod
BENEDICENTE DEO!

Censente Ampl. Fac. Phil. in Reg. Acad. Aboënsi,

PRÆSIDE

M. AND. WANOCHIO,

Philos. Pract. & Histor. Profess. Ord.
Reg. Alumn. h. a. Inspect.

RESPONDENTE

JONA P. CORYLANDRO, NYL.

Die 1. Junii, Anni orbis reparati

MDCLXXXVII.

In Audit. superiori placide ventilabitur.

Exc. apud JOH. L. WALLIUM, A. T.



Reverendissimo in CHRISTO Patri ac Domino,
DN. PETRO BURNI
S. Theol. Doctori Excellentissimo, Dioeceseos
Wiburgens. Episcopo Amplissimo, Consist. ibid.
Præsidi gravissimo, nec non Gymnasii Ephoro
attentissimo, Patrono & Mecœnati magno, hu-
millimâ veneratione ætatem suspiciendo.

UT ET

Pl. Reverend. Clariss. atq; Erud. Viris,
Regii Gymnasii Wiburgensis omnium disci-
plinarum LECTORIBUS ingeniosiss. Me-
cœnatibus ac Promotoribus devota animi ob-
servantia æternum devenerandis:

Viris quoq;

*Reverenda canitie, doctrina, & Venerabili di-
gnitate cumprimis inclytis,*

Dn. JOHANNI ALBOGIO, Civitatis &
parochiæ Borgoensis Past. attentiss. nec non
Ecclesiarum adjacentium Præposito bene-
merito, Evergetæ singulari studio & hono-
re perpetim colendo.

Dn. ANDRÆ Sträng/ Pastori in Sibbo vi-
gilantissimo, Evergetæ ac fautori perpe-
tuo venerationis zelo deprædicando.

Dn. PETRO SERLACHIO, Pastori Perno
fidelissimo, Consanguineo ac benefactori
quovis reverentiæ cultu prosequendo.

Dn. STEPHANO STROMMIO, Sacellano
Borgoensium optimo, Fautori certissimo.

MECOENATI ac

PROMOTORIBUS æternum colendis.



Quod Vestro coram tam gravi tamque augusti
obitu, Patrone, Mecænates, ac Faut. re-
verenter honorandi, ingenio studiis po-
litoribus nondum bene subactis, hoc munus-
culum literarium, quantumvis exiguum sistere
audeam, Vestra facit benevolentia: faterer sane
me minus dignum, cui tantum honoris ac gra-
ti à Vobis favoris concederetur, nisi diffusus
ejusdem fulgor, qui singulos in honesto litte-
rarum stadio occupatos illuminat, incentivos
quoque mihi suppeditaret stimulos, memoriam
continuato ordine beneficiorum, O Mecæ-
nas & Promotores propensissimi, in me
abunde collatorum recolendi. Hunc itaque in-
genii fatum reverentia in Vos mea te-
seram submitte volo existere. Accipite, qua-
so, specimen, quod defendendi causa à me sus-
ceptum, idque benevole interpretamini; qui
& permittite, ad Vos ut exorator veniam, ce-
officiocissimi affectus & animi gratissimi indi-
cem apud Vos deponi. Valete & in vine-
DOMINI feliciter quam diutissime laborate!

Reverendiss. Patris

Et celebrium dignitatum Vest.

Subjectissimus Cliens

J: P: CORYLANDER.

*Lectissimo, & modestia, literarumq; laude
conspicuo Juveni,*

DN. JONÆ P. CORYLANDRO,
*De Malo morali solerter publice dispu-
tanti, amica gratulatio, ex illo
Cleomenis apud Plutarchum
expressa,*

Σύνοπος ἢ κορυπία, βραδεία δὲ ἢ ἀγέλη:

Improbitas captu facilis, velut agmine
facto

*Noxia per mundum nunc malefacta ruunt:
arior ast Virtus, longo durabilis ævo,*

Atque animi pollens integritate fides.

avidia ringente jugum Virtutis anhelas

*Gnaviter, & superas, JONA, malumq; fu-
gis:*

Iam mala qui infracto studio perpendit,

& omni

Conatu fugitat, neu malus esse potest.

Quam dedi ἀντόθεν

AND. WANOCHIUS.

An virtutes ethnicorum, quatenus
 rationi conformes, differant spe-
 cie a virtutibus Christianorum?
 Aff.

§. XI.

Non desunt, qui cum *Danao, Kecker-
 manno, Timplero, specificam* inter virtu-
 res gentilium & Christianorum *differenti-
 am* tollere nitantur, *illamque* tantum
gradu perfectionis ab *hac* differre putent;
 non secus ac lucem matutinam a meridi-
 ana, aut teporem a fervore. At quan-
 tæ absurditatis hæc sit sententia, vel indi-
 cio paginæ anterioris 667. constat. Sci-
 licet differt virtus *Christiana* a virtute
*ethnicorum & philosophica, (α) Causa effi-
 ciente;* quæ virtutis *Christiana* est Spiri-
 tus Sanctus & fides; virtutis *philosophica* vo-
 luntas irrogenita. (β) *Causa materiali,*
 seu objecto, quod virtutis *Christiana* est
 res unice honesta & bona; virtutis *phi-
 losophica,* res vel *in se,* vel quandoque ex
canone opinionis honesta. (γ) *Causa for-
 mali,* quæ virtutis *theologica* est externa
 congruentia cum lege DEI, vel verius, cum
recta ratione; Ubi tamen distingvendum

U u

inter

inter *formam* virtutis theologicæ *genericam*, quæ est conformitas cum lege & recta ratione; & *specificam*, quæ est congruentia cum sanctitate divina; ut B. D. Hulseman. Vind. p. m. 583. & Osiander in *theolog. moral. c. XV. §. 44*: Vel *fides*, quod placet aliis. Fides (inquit B. D. Christ. Chemnitius in *annotat. ad Catechesin B. D. Conradi Dieter. p. m. 57.*) est *causa efficiens* bonorum operum, quatenus bona opera fiunt: Fides est *causa formalis* bonorum operum, quatenus bona opera DEO complacent. (d) *Causa finalis*, quæ virtuti Christiana est unica Dei gloria; gentili vero, seu *philosophica*, (abstractivè sic dicta) gloria propria, in qua terminatur; & proinde, (ut loquitur D. Osiand. c. l.) aversionem a DEO, & conversionem ad hominem indicat. His addi potest (e) *norma*, quæ virtuti theologicæ est lex DEI revelata; *philosophica* vero, vel verius *ethnica*, *lex inscripta*: quas inter, etiam si differentiam *specificam*, in rigore sic dictam, non propugnemus, *accidentalem* tamen, quæ in gradu consistit insigni, merito tenemur adferere. Strimesius, cum paucis disservisset de virtutibus fidelium & Christianorum

regene-

regeneratorum, ac de virtutibus infidelium & ethnicorum, quæ nimirum utriusque necessitas, & qualis (ut verba ejus sonant) respectu felicitatis futuræ competat; concludit hisce verbis: *Nos respectu utrarumque accurate distingvendum censemus, 1. Inter necessitatem ratione causationis, quæ neutris horum ulli pacto convenit; & necessitatem conditionis, vel causæ sine qua non, quæ neutris repugnat. 2. Inter necessarium esse ad felicitatem futuram; & inter to sufficere ad eandem. Prius uti de utrisque conceditur, sic posterius de utrisque negatur. Atque hanc ob causam non possumus omnem ex parte cum iis facere, qui virtutum ethnicarum odio, tanquam æstro perciti, in eas ubique debacchantur: nam præterquam, inquit, quod substantialiter cum virtutibus Christianorum eedem sunt, eadem formâ internâ, medio, objecto, actu eisdem constantes, sola adstante forma diversa, indeque a potiori Virtutes, non peccata dicende; etiam Deus in Sacris literis variis easdem præmiis prosecutus legitur. &c. Praxiol. apod. cap. vii. §. 5. At quanta hæc sit prodigalitas, non potest igno-*

rare quisquam, nisi qui veritatem orthodoxam susque deque habet. Loquatur pro me B. D. Hülsemannus, cujus & *extensionem* brev. in allegata pagina citat Strimesius: Sic autem ille, in *pralect. Form. Concord. art. XII. f. 5. §. 8. p. m. 605.* Si propositio illa, (*bona opera sunt necessaria, ut causa sine qua non, ad consequendam visionem DEI beatificam*) juxta naturalem sonum & positum phraseos, caret omni ambiguitate, non indiget studio idoneæ interpretationis, sed ex naturali situ ac positu verborum habenda est, aut pro plane vera, aut pro plane falsa. Quod si ita est, phrasis ista non jam ambigua, sed plane & pure falsa erit, nempe ullum bonum opus, sive actionem moralem reatorum distinctam a fide, jure divino dici aut dici debere necessariam ad beatificam DEI visionem consequendam. Neque enim ex Aristotelica necessitatis definitione, sive ex ullius idiomatis consuetudine & lege, actio moralis uspiam reperietur dici necessaria ad productionem alterius actionis moralis, in eodem genere moris, sine connexionem veræ causæ cum vero causato. Itaque si actiones morales & supernas

pernaturales a SPIRITU Sancto profectæ, præter & juxta fidem propriissime necessariæ sunt ad aliam actionem ejusdem moris producendam, seu ad actionem illam supernaturalem, quæ dicitur adeptio, impetratio, consecutio æternæ & essentialis gloriæ, opera moralia erunt propriissime & simplicissime dicta causa adipiscendi & consequendi vitam æternam, non causa æquivoca aut fatua, juxta regularem constructionem omnium Grammaticorum. Hæc & plura in eandem rem alia B. Hulsemann. c. I. quem vide p. 555. & p. 539. Vide & alios Theologos. Dum ergo affectionem Virtutis necessitatem posuimus, p. 622. non aliud intendebamus, quam necessitatem immutabilitatis, quæ virtuti ratione *essentia* convenit; *congruentia*, *exigentia*, & *expedientia*, quæ eidem ratione humanæ conditionis, quæ sine virtute vix perflare potest, competit. Potest etiam dici Virtus necessaria, necessitate *precepti*, & quidem universalis, ex jure naturæ, nec non necessitate *medii*, quatenus est necessaria ad consequendum summum bonum morale, (*philosophicum*) non vero *spirituale* (*theologicum*.)

QUEST.

QVÆST. XIV.

An detur aliquod per se, & natura sua moraliter malum? Aff.

§. XII.

Quamvis secundum Augustinum malum non sit in rebus ipsis, sed in usu (verius abusu) peccantium; tamen hoc tantum accipiendum de malo *absoluto*, sive de rebus secundum se sumtis, non de malo *relative* tali, vel rebus comparatis per ordinem ad actus voluntatis, adeoque non negat malitiam objectivam; sicut enim datur bonitas objectiva, ita etiam malitia; (ait D. Osiand. in theol. moral. IX. §. 22.) præmissis si attendatur, dari quædam intrinsece bona (forte legendum *mala*) quæ nulla ratione possunt cohonestari, distincta ab illis, quæ tantum extrinsece, ex prohibitione scilicet superioris, dicuntur mala, & hæc ipsa consistit in difformitate objecti cum regula. Malitia vero formalis dicit difformitatem actus cum lege divina morali, & iudicio illo, quod debebat ex illa deduci. Scilicet *malum morale* dari in proparulo est, non tamen quale Chrysippo olim visum apud Gell. lib. VI. c. I. (Vide Sect. *κατασκ* p. 627.) neque ut

Simon

Simon Magus, & ejus abortus, Simoniani, Menandriani, Carpocratiani,) de quibus Clem. lib. III. Strom. & Manichæi delirarunt; verum in sensu orthodoxo. Hic sanioribus litem movet *Thomas Bradwardinus*, archiepiscopus Cantuariensis, qui ante trecentos, & quod excurrit, annos, tres libros scripsit *de Causa DEI* adversus Pelagium, & in libro III. c. 26. affirmat, *nullam esse malitiam, quæ per se sit malitia.* Rationem reddit: (citante Venedelino) quia eadem actio uni habenti hoc judicium practicum est mala, alteri, habenti dictamen vel judicium contrarium, est bona. Probat hoc exemplo *puerorum & furiosorum*, in quibus crimine vacant actus, qui in adultis, & sui compositibus horribiles & capitales essent culpæ. Ita secundum essentiam similes motus sunt culpabiliter & inculpabiliter occidentium, hoc est, Magistratus secundum legem, & latronum contra legem occidentium. Similis est complexus adulterorum & immacularum conjugum. Unde infert, hos & similes actus omnes, *vel* æque fore prævios, quod falsum; *vel* nullum eorum per se vitiosum, sed tantum ratione judicii, quo dirigitur is, qui actum admittit. Si recte

recte se agere existimet, rectam fore actionem; si male, malam. Vid. Gregor. in *II. dist. 38. q. 9. n. art. 2.* sic a Patre occidi filium innocentem, per se simpliciter malum non erit, quia DEI jussu accedente, bonum & laudabile est: quo nomine laudatur obsequium Abrahami, ad filii Isaaci eadem se promte accingentis. Gen. XXII. 12. 16, 17: Rom. 4. 3. Huc nos accensemus *Nominales*, quorum princeps Ochamus, qui obiectivam malitiam sollicitant, & putant omnem pravitatem pendere ex prohibitione extrinseca, saltem divina, quam putant esse liberam, quia pendeat ex voluntate Dei, quæ libera est in omnibus effectibus ad extra, ex quibus est prohibitio seu præceptum: in eo ab *Hobbefio* discrepantes, quod hic determinationem bonitatis & malitiæ actionum a voluntate suspenderit, *cap. 1. de Cive, & Leviath. c. 14.* etiam supra a nobis allegato. Ita *Libertini* nullum agnoscunt discrimen inter bonum & malum, sed omnia ad opinionem referunt, ut, si quis putaret se peccasse, peccasse sit censendus; sin minus existimaret se peccasse, nullum peccatum commisisse. Ad rationes vero

Brad-

Bradwardini distinguit Raynaudus, inter malum per se, *objective & fundamentaliter*, & malum per se *complete, & formaliter* ita dictum, Hinc ait argumentum Bradwardini non probare, nihil esse per se malum *objective & fundamentaliter* (hoc enim sensu doctores communiter admittunt, aliqua esse per se mala) sed tantum probare, nihil secundum se esse *complete & formaliter* malum, ante iudicium practicum, exercitio vel omissione actus interdicens: quo sensu ipse negat (verba sunt Vendelini) aliquid per se *complete & formaliter* malum esse, absque præiudicio huiusmodi iudicio, quod tum demum actio vel omisso vertatur probro, cum iudicium antecessit, non autem prius, quamvis esset ejusdem naturæ & speciei physicæ, cujus est postea, quando iudicium antecessit. Pergit Vendelinus: Distinctionem hanc non contemnendam arbitramur: ut enim de ratione actus moralis *complete & formaliter* boni est, ut a sciente & volente proficiscatur; sic actus moralis *complete & formaliter* malus scientiam quoq; & voluntatem requirit, sine quibus iudicium practicum non est.

Sic furtum *complete & formaliter* non erit, si quis rem alienam, quam nulla ratione scire potuit, pro sua auferret. Sic qui *complete & formaliter* mali sunt accusati respectu eorum, qui cum ratione agunt, pro talibus non habentur, si a furiosis vel infantibus perpetrentur; unde *illis* possunt & solent esse capitales, *his* non item. Interim tamen (concludit) accus huiusmodi ab insanis vel infantibus profecti, minime sunt boni, sed *objective & fundamentaliter* mali. Sed hæc, ut quodammodo ita se habent in foro *soli, morum, & civili*; ita in foro *poli, theologico & spiritali* elevantur, cum hic non semper & necessario requiratur *voluntarium* ad constitutionem actionis, quia & *actus indeliberati & motus primo primi* sunt peccata; quin & in foro *soli* actiones puerorum & furiosorum castigantur, etiam si *καὶ ἐπιεικείαν*.

QUEST. XV.

An malum morale sit pura privatio, vel aliquid positivi?

§. XIII. Hic iterum, pro sensu questionis obtinendo, notandum est, non tam queri (•) de malo *alteri*, quam de malo *in se*

in se; quamvis hæc aliquando ita connectantur, ut quod *in se* malum est, etiam alteri sit & esse possit, partim *unione physica*, sic vitium & in se est malum, & alteri, nempe rectæ rationi in uno eodemque subjecto, quod lancinationes conscientia post admissum facinus indicant; partim *externa quadam habitudine*: sic domus quæ in se est vitiosa, habitatori quoque disconveniens est & mala. (β) Neq; quæri de malo *noxio & injucundo*. Neq; (γ) de malo in genere *natura*. Neq; (δ) de malo *pene*. Neque (ε) de malo simplicis *omissionis*: dixi *simplicis*, quia dari potest *omissio actus*, quæ non est simplex & pura, sed concreta cum habitu, seu vitiositate. Verum de malo *turpi*, in genere *morum*, quod disconvenientiam importat cum lege DEI, & natura rationali, ut libere operatur; de malo *culpe*, & *commissionis*. Notum enim est, malum hoc *culpe* dupliciter committi; *vel* secundum liberam actionem penitus omissam, unde peccatum *omissionis* enascitur, quod præcepto *affirmativo* opponitur; *vel* secundum liberam actionem male exercitam, unde peccatum *commissionis*, quod præcepto *negativo* contrahitur. §.xiv

Posito sic quaestionis statu, ad decisionem perveniendum. Hic severe inculcant distinctionem, qua malum aliquid dicitur (a) *formaliter* seu *abstractivè*, & sic nihil esse aliud, quam ἀνομιαν, adeoq; in nuda consistere privatione. (b) *materialiter* seu *concretivè*, & sic aliquid positivi in casu recto importare. Diversimode ad peccatum constituendum concurrunt, (inquit, Pet. Musæus in Metaph. c. xxvi § 38.39.) id, quod *positivum* in ipso est, & ἀνομία sive *privatio*: illud enim *materiale* tantum est, sive id quod peccatum denominatur, & veluti subjectum, ἐκ προορισθέντος definitionem peccati ingreditur: hoc vero est *formale*, sive ipsa ratio, per quam aliquid est peccatum. Ne vero, inquit, latentis homonymiæ vitio res perperam accipiatur, observari velimus, *formale* peccati dici dupliciter: (1) *Ut est specifica ratio cujusque, quod peccatum denominatur, sed non quatenus est peccatum, sive precisa peccati ratione*: hoc sensu adulterium, furtum, homicidium, & alia peccata commissionis non consistunt in privatione, sed in suo formali

con-

conceptu terminos *mere positivos* important; neque enim aliquid formaliter est homicidium per privationem, sed per realem actionem, qua insons quis, aut quasi insons, privata auctoritate occiditur, &c.

(2) *Ut est formalis ratio peccati, quatenus est peccatum; sive per quam aliquid in esse peccati constituitur; & sic indifferenter omnibus peccatis, quomodocunque cetera distingvantur, competit. Hoc sensu, (ait,) asserimus, formale peccati esse ἀνομίαν, adeoque meram privationem.* Et si enim v. g. furtum, adulterium, homicidium, si secundum se spectentur, præcisa peccati ratione, per rationes *mere positivas* in esse suo constituuntur, ut modo vidimus: non tamen *formaliter* sunt peccata, nisi per ἀνομίαν, & sic per privationem. Addit in §. 40: *Fundamentum hujus sententiæ est, quod prius natura in esse suo constitutum est quodlibet, quod peccatum denominatur, quam peccati rationem habet. Ita v. g. furtum, homicidium, adulterium aliquid esse, natura prius est, quam peccatum sive ἀνομον esse; estque illud, concurrente lege, hujus causa: Vera enim est hæc causalis pro-*

Propositio: *quia lege prohibita est contractatio rei alienae invito domino. & praesens actio talis est; ideo est ἀνομος; hoc est, ideo discordat a lege, & consequenter debita perfectione caret. Hæc ille. Hunc fere in modum differit etiam Scavius Infit. Met. c. xxix. & maxima pars Philosophorum, imo Theologorum, exceptis excipiendis.*

§. XV.

In hoc vero Musæi discursu quatuor possunt sollicitari: *primo* quidem peccati *materiale*, quasi non sit positiva quædam entitas: *Secundo* vero *formale*, quod non sit mera privatio: *tercio*, quod ἀνομία non dicat nudam & simplicem privationem: *quarto* deniq; *fundamentum* ejus sententiæ; nempe, quod dicit Musæus, *prius natura in esse suo constitutum esse quodlibet, quod peccatum denominatur, quam peccati rationem habere.* Prima sollicitatio levior est, uti jam constabit; de ceteris etiam, salva tamen auctoritate viri gravissimi, quid judicandum, videbimus. (a) Contra *Primum* de materiali mali moralis sic oggeritur: *Si malum fundatur in ente positivo, tum malum funda-*

fundatur in bono. Consequētia probatur: quia bonum convertitur cum ente, & de quo unum prædicatur, de eodem etiam prædicatur alterum. *At consequens est falsum*; quod patet tripliciter: (1) Unum oppositorum non est subiectum alterius: bonum & malum sunt opposita. E. bonum non est subiectum mali. (2) Omne fundatum denominat id, in quo fundatur; E. bonum esset malum, si malum fundaretur in bono. (3) Bonum est quod omnia appetunt, lib 1: *Eth.* c. 1: Sed id quod subicitur malo, non est appetibile; nullus enim appetit esse in miseriis; Ergo id, quod subicitur malo, non est bonum. *Dum itaque consequens est falsum*, uti hic ostensum est, non potest non falsum esse antecedens. Verum respondetur, consequens non esse falsum, neque argumenta illa falsitatem evincere. In primo (1) enim distingvendum est, inter bonum *transcendentale* vel *essentiale*, ac bonum *accidentale* vel *moralis*: huic (bono morali seu accidentali) *malitia moralis*, de qua disquiritur, opponitur, non autem illi: nihil proinde impedit, quin bonum *transcendentaliter*, possit esse subiectum

ctum mali *moraliter*; quia sic bonitas & malitia, non sumuntur in eodem genere, sed diverso. In *secundo* (2) itidem committitur *μῆλαβασις* de genere *morum*, in genus *transcendentium* & *natura*: potest itaque quodammodo concedi illatum, cum oppositio ibi sit obliqua: necnim bonum semper opponitur malo, sed tum demum, quando utrumq; consideratur in eodem genere, secundum omnes oppositionis leges: alias unum & idem pro diverso respectu bonum & malum esse nihil repugnat. Malum morale de bono physico & transcendentali prædicatur *extra-essentialiter* & *παρὰ τὴν οὐσίαν*. Præterea notandum, quod *ἀραξία*, seu malum, fundatur in *actu* physico, tanquam in bono, *physice* & *transcendentaliter* tali; non vero *moraliter*: fundatur in *potentia naturali*, tanquam subiecto transcendentaliter bono. Hic urgenda est etiam distinctio, inter *materiale mali remotum*, & *proximum*; quam vide supra, harum *Disquisit.* p. 500. In *tertio* (3) licet subiectum malitiæ, non sit appetibile, ratione, qua malitiæ subijcitur, / aptitu-

appetibile tamē est ratione entitatis, & forte aptitudinis quoq; , quam habet ad suam perfectionem. Vide Slevogt. *Disp. mor. VIII.*

§. XVI.

Quod ad secundum illud, de *formali* mali moralis, *an scilicet sit mera privatio?* tum res est paulo difficilior. Quin autem malum *omissionis* in nuda consistat privatione, præsertim si sit *pura & simplicis* omissionis, (quod de actu tantum, non vero habitu capiendum,) vix quisquam ambiget: hic autem quæritur de malo *commissionis*, uti superius notatum. At id concipitur, ut est vel *simplicis* commissionis, quod habitum excludit; vel *commissionis dispositiva*, quod ad habitum disponit & ordinat; vel *commissionis ex actu & habitu concreta*. Tres hic notabiliores occurrunt sententiæ: (æ) *Prima* dicit rationem formalem mali commissionis esse *nudam privationem*, actumque moraliter malum dici, cum caret perfectione ac rectitudine sibi debita; quæ est Thomæ II. q. 5. a. 3. Bonaventuræ II. *Dist.* 34. a. 2. q. 3. Scoti II. *Dist.* 37. Durandi II. *Dist.* 35 q. 2. & *Dist.* 42. q. 8. Gabr. Belis II. *Dist.* 35. q. 1. a. 1. 3. Thomæ de Argentina II. *Dist.* 24. Ri-

chardi, Marfilii, Occami, Ferrariensis, III. *contra Gent. c. 9.* Svarezii *Disp. Met. XI s. 1. n. 3. § 4.* Becani, *parte II. Theol. Schol. t. p. 65. tract. 1. q. 1. concl. 1. 3:* taceo recentiores, qui sunt fere innumeri. (β) *Secunda* dicit formalem mali commissionis rationem esse positam in *relatione rationis*, quæ sit relatio disconvenientiæ ad naturam rationalem, ut est rationalis. Ita Melchior Canus apud Medinam *l. II. q. 71. a. 6.* Hunc sequitur Vasquez, *Disp. XCV. c. 9*; quo & Gregorium II. *Dist. 34. q. 1. a. 1, § 2*, refert. Ratio sumitur hujus sententiæ ex illa Augustini definitione, ut notat Becanus, & forte ex eo Slevogtus: *Peccatum est factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra legem æternam.* Ubi tres illæ particulæ, *factum, dictum, concupitum*, (inquirunt) significant actum peccati: illa vero, *contra legem æternam*, significat malitiam peccati. Esse autem contra legem DEI, (dicunt) nihil aliud est, quam repugnare legi æternæ: hæc autem repugnantia est quædam relatio rationis. (γ) *Tercia*, statuit malum commissionis formaliter constitui *malitia morali, quæ sit ratio positiva*: scilicet duplicem dicit in peccato

peccato malitiam; *alteram* simpliciter, qua actus in se est malus, & hanc consistere in privatione boni, ut prima sententia sustinuit; *alteram* moralem, qua actus est malus, non in se, sed respectu naturæ rationalis; & hanc non esse privationem, sed entitatem quandam realem ac positivam, quæ ita se habeat respectu hominis, sicut se habet frigus respectu ignis, calor respectu aquæ, dolor respectu sensus, error respectu intellectus. Hæc est mens Cajetani in *1.2^æ q. 18. a. 5. & q. 71. a. 6*; & Medinae *ibid.* *Prima & tertia* sententia hic ipsum sunt *καρπομενον*; *Secundam* ergo seu mediam, quæ formalem mali rationem in relatione rationis posuit, removemus, & quidem sic argumentando: *Relatio rationis non est in rebus, nisi fingente intellectu: atqui malitia est relatio rationis. E. malitia non est in rebus, nisi fingente intellectu.* Conclusio est absurda; (quis namque dixerit cum Bradwardino & Hobbesio, nullam rem esse malam, nisi accedat intellectus operatio? aut, quod eodem recidit vi correlativorum, nullam rem esse bonam, nisi mentis consideratione?) absurda igitur erit alterutra præ-

missarum; non *major*, quia manifestissima est contradictio, esse relationem rationis seu ens rationis ratiocinantis, & non dependere ab operatione intellectus, sed convenire rebus præcisa omni conceptione; & si id daretur, nihil superesset, nec sane monstrari posset, in quo different relationes rationis a realibus, cum ambæ in rebus essent subjective & neutra objective in intellectu tantum. E. *minor* est absurda. Inepte jactatur auctoritas Augustini: Largimur equidem, quod verba, *contra legem æternam*, malitiam innuant, & quod actus malus sit, qui legi repugnat vel disconvenit: at per hanc repugnantiam in ordine ad regulam, quæ lex est, & actus intrinsece constituitur malus, præsertim si lex concretive sumatur, & ut in hoc vel illo actus individuo est conspicua, & extrinsece talis esse cognoscitur. Dupliciter enim actus aliquis potest dici malus: (a) *intrinsece*, ex objecto, fine, mediis, circumstantiis & forma; (b) *extrinsece*, ex difformitate ad regulam, (abstractivè sic dictam) applicata; non quod malitia ejus posita sit in nuda illa difformitate, sed quia ex hac difformitate cognoscitur

feitur esse malus. Confer Slevogt. & supra p. 583. & 585.

§. XVII.

Rationes pro prima sententia, quæ mali moralis rationem formalem, actum in ratione peccati constituentem, dicit esse simplicem privationem, sunt hæ: (α) *Malum morale aut est quid positivum, aut quid privativum, aut quid pure negativum: Non est quid positivum, neque quid pure negativum. E. quid pure privativum.* Major est clara. Minor probatur, & quidem quoad prius, quod non sit quid positivum. (α) *O. positivum importat perfectionem, & est a DEO: malitia moralis non importat perfectionem, nec est a DEO. E. malitia moralis non est quid positivum.* Major in hocce itidem claret, quia ens positivum & perfectum se invicem includunt in conceptibus formalibus. Minor in propositulo est. (2) *Si malum morale, ut sic, formaliter diceret naturam aliquam positivam, omnia peccati ratio formalis esset quid positivum: Consequens est absurdum; ergo & antecedens.* Ratio consequentiæ patet; quia, a quatenus ipsum ad de omni, valet consequentia; &

quicquid inest generi, inest etiam cuilibet speciei, & quicquid, repugnat generi, repugnat etiam speciei. Absurditas consequentis inde colligitur, quia malitia moralis tam reperitur in *actu*, quam *omissione actus*, cum non solum contra rectam rationem sit, *velle* aliquid, quod turpe est ac prohibitum, sed etiam *non velle*, quod honestum ac mandatum: at malum *omissionis* non consistit in aliquo positivo; cum enim ipsa *omissio* non sit *positiva*, propterea nec malitiam potest habere positivam. Deinde probatur minor Syllogismi principalis, quoad *posterius*, nempe quod non sit quid *pure negativum*, hunc in modum: *Si malitia moralis esset simplex ac mera negatio, tunc omnis creatura esset mala, quia caret infinita perfectione Creatoris, & omnis actio humana esset peccaminosa, quia destituitur rectitudine, quæ est in operationibus DEI, & denique omnes penas malorum forent injustæ, cum sint propter purum nihil &c. Sed falsum est, omnem creaturam esse malam, omnem actionem humanam esse peccaminosam, omnes malorum penas esse injustas: E. & falsum*

sum est, quod malitia moralis sit simplex ac nuda negatio. Cetera hic intermitto.

S. XLIX.

Argumenta pro sententia *tertia*, quæ statuit *malum* morale esse quid *positivi*, sunt varia, præsertim a Petro Molinæo congesta: nos paucissima hic producimus. (α) O. quod corrumpit aliquid, effective agit in ipsum, & per consequens dicit entitatem positivam; quia agere præsupponit esse: sed malum corrumpit bonum, & quidem sub ratione mali, ac in quantum tale. E. malum formaliter, & in quantum malum, agit, ac per consequens dicit entitatem positivam. (β) Q. intenditur & remittitur, est ens positivum: sed malum morale in ratione, qua est, intenditur & remittitur. E. malum morale in ratione, qua est tale, est ens positivum. (γ) Quemadmodum in naturalibus (inquit Molinæus) id quod malum dicitur, ut dolor & morbus, non sunt meræ privationes, sed qualitates & passionis inhærentes subjecto, ita in moralibus, & in labe spiritali animæ, malum & peccatum est aliquid reale. Id vero liquido conspicitur in vitiis pravisq; habitibus.

habitibus, qualis est *avaritia, crudelitas, hypocrisis, superbia, intemperantia, furacitas*: Hæc enim vitia sunt habitus & qualitates, ac proinde non sunt privationes; nullus enim habitus est privatio: Cumq; virtus sit qualitas & habitus, vitiumq; sit contrarium virtuti, oportet vitium sit qualitas & habitus; contraria enim sunt, quæ sub eodem genere plurimum distant. Ac profecto tota via errant, qui putant, virtutem opponi tantum vitio, ut habitum privationi; cum privatio virtutum, veluti liberalitatis aut iustitiæ, possit esse sine vitiis oppositis, id est sine avaritia & iniustitia, ut videre est, in morionibus & mente captis. *Pergit.* Fidem sententiæ astruit, (s) quod privationes non agunt, nisi improprie & per accidens, ut cum cæcitas causa est cespitationis; at vitia & mali habitus producant per se effectus vitiosos, suntque summæ efficaciam. Neque enim scelera, quæ patrantur, adscribenda sunt solis potentiis naturalibus, sed habitibus vitiosis, quæ infederunt istas potentias, easque ad malum applicant. *Paucis interjectis:* (c) privationis meræ, nulla, est forma,

ma, cum privatio sit absentia formæ: ac vitiorum aliqua est forma, per quam unumquodque vitium est id, quod est, & aptum ad agendum hoc modo; ideoq; possunt definiri. Id ipsum (η) evincunt pænæ, quæ peccatum consequuntur: nam pæna, quam DEUS (aut Magistratus) infligit peccatoribus, non est tantum pæna *damni*, sed etiam est pæna *sensus*; ne c tantum est privatio voluptatis & *avaia* *Ignorantia*, sed etiam dolor urens, ac passio actu inherens. Ac profecto, *inquit*, qui peccatum volunt esse nihil, meramque privationem, ansam præbent profanis expostulandi cum DEO, quod puniat homines ob nihil, & ob defectum, non ob effectum; &, quod ob rem non existentem actu pænas infligat reales & actuales: ratio enim videtur postulare, ut privatio iustitiæ sine habitu malo, nuda privatione felicitatis, non vero æternis cruciatibus puniatur. Quemadmodum ergo in naturalibus, propensio gravium ad centrum, non est tantum privatio levitatis, aut propensionis ad superiora, sed naturalis potentia; sic nec proclivitas ad peccandum est tantum pri-

vatio proclivitas ad iuste agendum, sed & animi labes, & habitus effectivus malorum actionum. Hæc ille. Et inde est, quod Theologi, dum de natura peccati, quod non sit nuda privatio, agunt, in rei fidem allegent Scripturam, quæ subinde peccata vocat maculas & labes; quas DEUS abstergit & eluit. Psal. Ll. 4. Zach. xiii. 1. Apoc. l. 6. &c: nam privationes elui aut abstergi nemo sanus dixerit.

§. XIX.

Hæc in compendium mittimus, dum nostram dictis appendimus sententiam. Formalis mali moralis ratio, qua malum constituitur, & est quid *privativum*, & quid *positivum*: *privativum* quidem, si queratur de malo *simplicis omissionis*, & *purae ac simplicis commissionis*: respectu *illius* est privatio pura & simplex; sed respectu *hujus* est privatio temperior. *Positivum* quid est ratio formalis mali *commissionis dispositiva*, & *habituali*: non tamen *mere positiva*, sed ex *positivo* & *privativo* commixta: *ex privativo* ratione difformitatis & carentiæ re-
 ctitudinis; *ex positivo* vero ratione habi-
 tus re-
 ctitudinis contrarii. *Privatio e-*
 nim

nim sumitur, aut (α) pro nuda absentia seu negatione formæ inesse debita; aut (β) pro absentia formæ, & præsentia contrarii simul: sic habitus injustitiæ, non solum dicit absentiam justitiæ, sed & positionem habitus contrarii. Milium terebrare videntur, (inquit D. Joh: Adam Osiander) qui cum Nazario, supposita hæc sententia, disputant, *num malitia formalis æqualiter constituatur ex privativo & positivo, tanquam genere & differentia?* Vel cum Ferratiensi, *an constituatur ex privatione formaliter & in recto, atque ex entitate positiva, ut ex connotato & in obliquo ac materialiter?*

Hæc sententia de ratione mali, ut est malū, quod constet partim *positivo*, partim *privativo*, videtur quidem monstrosa; quia, (1) *forma rerum sunt in indivisibili, & ὡς ἀπὸ τοῦ*: (2) *Quia implicat, esse aliquid simul & non esse, esse privativum, quod negat, & esse positivum, quod ponit.* Resp. Sed mirari desines, si ad *primum* (1) distinxeris inter res *transcendentaliter* (de quibus effatum) & *moraliter* consideratas: deinde (b) inter *formam rerum genericam & specificam*. Ad
secun-

secundum si dixeris, non implicare, unam eandemque rem, secundum diversas partes (vel reales vel analogicas) & diverso respectu, esse quid *privativum*, & quid *positivum*: malum est quid *privativum*, ratione defectus & illegalitatis, est & quid *positivum* ratione contrarii habitus; qui habitus, quantuscumque est, malus est, adeo, ut frustra nudam ibi quæras privationem. Sed regeris forte, hic non æque quæri de habitu vitioso, ut est habitus, qui utriusque malus est, & *materiale* vocatur; quam de *formali* ejusdem habitus, unde appellatur vitiosus. Verum respondeo (α) illam abstractionem, quæ separatim considerat in vitioso habitu, habitum, ut *materiale*, & *difformitatē*, ut *formale*, esse plijusto subtilem: quis enim unquam reapse vitiositatem a vitioso habitu separaverit? beneficio rationis ratiocinantis id posse fieri concedo, quæ chimericas etiam imagines potest formare. (β) Concesso, quasi ita sit, tamen & ego possum beneficio abstractionis, duplicem formare conceptum de habitu vitioso, eumque longe solidiorem; scilicet dum *primum* considero *difformitatem*, ut privationem,

cujus

cujus subjectū vel est potentia, vel habitus, vel actus; *deinde* considero *habitū contrarium*, qui nequaquam nuda privatione absoluitur, sed simul *entitate* quadam *positiva*. (γ) Potius ergo *materiale* habitus vitiosi ponitur potentia; cui inhæret, quam ipse habitus vitiosus, ad evitandum circulum. Dixi modo habitum vitiosum non absolvi nuda privatione, sed simul *entitate* quadam *positiva*: Ubi distingve inter *entitatem* & *τὸ positivum* considerata (1) *sensu Methaphysico*, & ita omne positivum est ens, & a DEO, quo modo impossibile est malum esse aliquid positivum; alias esset a DEO: & (2) in *sensu morali*, qua ratione, non omne quod existit, esse a DEO dicendum est. Scimus quidem (*inquit D. Job. Ad. Osiander*) omne ens naturale a DEO esse creatum, & omnes substantias, & omnia propria & accidentia fluentia ex formis rerum, esse DEI opera, & a DEO sustentari: sed plurima sunt accidentia non naturalia, quæ non sunt facta a DEO, ut formæ artificiales, ut picturæ, ut poëmata, cantilenæ; tum mali habitus, ut DEI odium, impietas, hypocrisis, deniq; omnes pravæ qualitates, quas
humana

humana voluntas usu contrahit, aut mala consuetudo affricat. Ejusmodi entia DEUS non efficit, sed tantum efficit subjecta & facultates animæ, quibus isti habitus inhærent; deditque vires naturales, per quas homo se ad hæc aut illa applicat. Res est clarior, quam ut prolixius exponi debeat. Videant ergo, qui cum Stalio *inst. Metaph. c. 38.* & aliis, distinctionem entis in *creatum, generatum, factum, & introductum*, vocant in dubium, quo jure id fiat. Strimesius dicit omnem *difformitatem* a recta ratione, esse *modum* actionis, quo actio afficitur, & in genere malorum collocatur, non minus quam *conformitatem* cum recta ratione *modum*, per quem in genere bonorum actio subsistit. At *modus*, inquit, non est mera *privatio* aut *non ens*, alias suppositivitates tam in Divinis, quam in humanis, inter *modos* merito relatæ, essent non entia, quod absurdum. Si institeris, *inquit*, *difformitatem* nihilominus *conformitatis* privationem esse. Respondeo; eodem modo *conformitatem* esse privationem *difformitatis*: nam formæ relatæ se semper mutuo tollunt ex relatorum lege: *Omnia*

relativa sunt etiam private opposita. Proinde (ait Strimesius prax. apod. c. 9.) difformitatem vitio propriam, dicimus esse *modum positivum*, quo vitium in esse vitii constituitur; quemadmodum irrationalitas, non minus forma bruti est, nec mera privatio, quam rationalitas forma hominis, per quam est id, quod est. Vide etiam Hulfemanni *pralect. in libr. Concord. art. 5. f. 1. p. m. 357.* & B. Meisneri *quest. vexat. §. XX.*

Tertium in discursu Musæi de voce *ἀνομιᾶς*, quasi *abstractivè* dicat nudam privationem, vide apud D. D. Theol. discussum. *Quartum* vero de *fundamento sententis*, quasi prius natura in esse suo constitutum sit quodlibet, quod peccatum denominatur, quam peccati rationem habeat; valet tantum de prioritate conceptus & cognitionis, non vero de prioritate immediationis & in fiendo: alias multa hinc exsurgerent *ἀνομιᾶς*. Vide & illa, quæ supra hanc in rem differuimus p. 585. 586.

QUEST. XVI.

An detur actio, ne dicam quoad speciem

speciem, sed quoad individuum
indifferens? N. D.

§. XXI.

Præter actus bonos & malos dari indifferentes, disquisitioni subijcitur. Non autem hic est sermo (a) de ἀδιαφορία, seu indifferentia, *subjectiva*, quæ est voluntatis, multo minus (β) de ea, quam applicant intellectui, & fere convenit cum Scepticorum ἐποχή; neque (γ) de indifferentia *objectiva*, seu rerum; quarum aliæ sunt *naturales*, aliæ *morales*, aliæ *ecclesiasticae*; quæ conceditur. Sed (δ) de indifferentia *actuum humanorum*, non quidem illa, quæ est, δυνάμεις seu facti; verum de ea quæ est ἐξουσίας, seu juris; neque quoad actus *speciem*, sed quoad actus *individuum*. Constat dari actus quosdam (non omnes) secundum *speciem* indifferentes, quia, cum natura actus dependeat ex indole objecti, circa quod versatur, si objectum datur indifferens secundum speciem, quod abstrahit ab honesto & inhonesto, & vel ad illud, vel ad hoc determinari potest, etiam actus humani indifferentes admittendi erunt: prius constat, quia ambulare, edere, bibere, &c. nullam

Ad Juvenem.

Literis & moribus ornatissimum,

DN. JONAM CORYLANDRUM,
Amicum sincerè dilectum, cum se in
doctrina morum publicè exerceret,

GRATULATIO.

Vere novo redeunt gratissima munera
mundo,

*Quæ mitis cæli generat clementia celsi.
Cum sua terrigenis clarissima lumina Phœbus
Altius incedens spargit fulgore jucundo;
Vivere, quæ dira texit violentiæ brumæ,
Incipiunt. Planta surgunt cervice reflexa:
Fecundo letantur aquæ gremio nive pulsa:
Gestit humus; ludit cælum; queis indita vita
Exsultant. Atq; ipse homo sua gaudia prodit,
Arripit, & dextrâ exsequitur sua munia curâ.
Fructiferens Corylus, noster Corylander a-
micus,*

*Sterile non mittit tempus, quo cuncta laborant:
Emittit fructus & foetum nititur artis,
Temporis ut verni faciem quoq; reddat amenâ.
Naturæ alludis. Cum munis gaudia Matris
Svadia percipiet; tum quam sua cura meretur
Mercedem propriam. Veniant Ti tradita cælo
Gratia, paxq; salusq; quies, fortuna benigna!*

DAVID LUND.

EGo existimo illos minus fortiter in mu-
sarum castris militare, qui tantummodo
dò exstructis pecuniarum cumulis, nomen
extra omne meritum sibi comparant, faci-
leq; sibi persuadent, se prospere totius litera-
ria peregrinationis iter pari ratione posse per-
ficere, ac primum scopulum in comparando si-
bi Titulo præterire potuerunt; cum alii ho-
rum, omnem virtutis semitam transgreden-
tes inter tumultuosos potantium conventus,
alii inter damnosos grassantium susurros, alii
vicissim inter illicita Veneris collegia consti-
tuti, in periculosa errorum ac incommodorum
sepe præcipitent devia, adeo, ut hi non solum
honorum suorum naufragium patiantur; cum
contemnenda illorum studia concomitentur in-
geniorum tarditas, oculorum ulcera, manuum
tremor, ac somniorum furiosa inquietas, qui-
bus quoq; superveniunt dira irarum tonitrua,
erebra contentionum fulmina, truculentæq;
mortis tragœdiæ; verum etiam multi alii in-
nocentes opum suarum jacturam sentiant ma-
gnoperè deplorandam, dum crescentia ejusmo-
di vitiorum monstra, DEum, regnorum dissi-
diis, bellorum murmure, caritateq; annonæ
homines

homines punire trabunt, excitant, irritantq;. Misererabili tamen imprimis modo tales episcopi gregis affecta, cultum divinum negligentes, ardua, inhonesta adeuntes, vitæ sodomiticæ litantes, honores magnos præter meritum inconvenienter appetentes, omnia sua bona sine discrimine dilapidantes, modum in jocando & ludendo excedentes, aliæq; inhonesta quæq; & vitiosa exercentes, deficiente fructu veræ penitentia, vehementi divini furoris fulmine ex hac vita evocati, dolorem acerbissimum, fletum tristissimum, cruciatumque truculentissimum sine intermissione accipiunt comperiuntq;. Equemadmodum hoc omnibus aliis vitiorum sectatoribus accidit, sic quoq; maxime iis, qui in honestarum literarum palæstris merito honesta affectare debuissent, qui tamen dum illas relinquunt, patrimonii suis consumptis, vix adhuc quid VIRTUS VITIUMQ; sit intelligant. Mens autem alia Tibi fuit, Præstantissime DN. CORYLANDER, qui etsi paupertatis mole verius pressus, quam opulenta divitiarum congerie locupletatus fueris; id tamen minime

Te d

se à virtutum comparandarum diligentia, v
tiorum vero fugiendorum cura retraxit: f
pōtius per angustiora viam ad virtutem, a via
vitiōrum declinando, tibi parare studuisti.
Nunc ergo quemadmodum posthac non ma
gis quam hactenus, de tua virtuosa dubitatur
vita, si nec vitiosorum cohors Te dehinc sedu
cere poterit; verum ex honestioribus tuis
studiis, ex egregiis tuis moribus, tandem pro
provenient, feliciter hoc studiorum cursu fini
to, DEI gloria, reipubl. emolumentum, propri
umq̄ decus & commodum. Quod ut fiat
optat cupitque

Nominis tui sincerus æsti
mator

DANIEL HAGERUS

Nyl:

